

do ab influxu liberi arbitrii, id est, ejus cooperationem postulantem; cum tamen illud non determinet ad talem cooperationem, sed potius illud sub perfecto ejus dominio relinquat; sicut etiam habitus charitatis habet efficientiam physicam in actum, non tamen sine cooperatione potentiae, ad quam cooperationem habitus non determinat potentiam, licet eam inclinet, sed potentia utitur habitu cum vult; tum etiam quia, licet e converso gratia excitans non ponatur physice efficiens conversionem, et nihilominus fingatur, seu asseratur omnino determinans voluntatem ad consentiendum, ita ut posita excitatione, voluntas non possit non consentire, propter aliquam sympathiam, vel necessariam consensionem, eadem incommoda sequuntur, propter quæ non minus est vitanda talis determinatio; possetque physica appellari, quia talis excitatio, ex vi suæ entitatis et physicæ adhæisionis ad potentiam, illam determinaret ad actum, et consequenter ejus libertatem tolleretur, quamvis ejus actum physice non efficeret.

Optime stare potest efficientia physica prævenientis gratiæ sine prædeterminatione physica. — Quod potest declarari exemplo; nam, juxta sententiam receptam Theologorum, intentio efficax finis infert necessitatem eligendi medium, quod est unicum et necessarium ad consequendum finem; et quamvis inter eosdem Theologos sit opinionum varietas, an intentio vere ac per se influat physice et effective in electionem, vel solum proveniat illa necessitas ex sympathia et consensione illorum actuum, nihilominus omnes fatentur, quod verum est, intentionem illam omnino physice determinare potentiam ad talem electionem. Est igitur (quod valde notandum est) controversia hæc, de prædeterminatione physica, longe diversa ab altera de efficientia physica prævenientis gratiæ circa actum conversionis; optime ergo stare potest hæc efficientia sine illa prædeterminatione.

Ex his satis responsum est ad objectiones, vel potius falsas impositiones illorum auctorum, neque necesse est singulas illarum propositionum per se refutare, cum manifestum contineant errorem. Minus vero necessarium est ab illo nos errore defendere, cum nullum ejus vestigium vel in nostris libris, vel alterius Doctoris ex citatis invenitur, sed contrariam sanam doctrinam ex professo doceamus, et collectio illa omnino sit frivola, ut ostensum est. Quæ omnia ex dic-

tis in superiori capite evidentiora fiunt, ubi specialiter comparatio illa inter duos, quorum unus convertitur, et alius non convertitur, declarata est.

CAPUT V.

INITIUM SALUTIS NON TRIBUI LIBERO ARBITRIO JUXTA SENTENTIAM DE VOCATIONE CONGRUA, SED DEO VOCANTI.

Alius error nobis ab eisdem auctoribus attributus est, quod cum Gallis, Semipelagianis, seu reliquiis Pelagianorum, initium salutis aut operum pietatis, non gratiæ, sed libero arbitrio tribuamus. Unde Franciscus Davila ita loquitur, in præem., p. 6, c. 9, p. 79: *Hæc sententiæ Gallorum his temporibus multi Theologi videntur acquiescere et subscribere.* Et iterum, c. 11, p. 97 et 100; c. 12, p. 149: *Contrariæ sententiæ auctores eandem quam Galli amplexati sunt sententiam;* et alibi ait esse eandem vel pejorem. In aliis vero locis, ut explicet consensionem et identitatem harum sententiarum, dicit de nobis: *Pro sua libertate operando fundamenta jaciunt, ædificium inchoant, quod Deus incæptum debeat extruere.* Et alibi in hoc dicit nos superare Gallos, quod illi solum initium fidei sibi adscribebant, nos vero et fidei et omnium operum pietatis, cap. 10, p. 8 et seq.; c. 18, p. 129; c. 13, p. 135; c. 14, p. 131; c. 25, p. 331: *Quia consentitur (dicit de nobis) initium operationis bonæ ita esse meum, ut non sit Dei moventis.* Hinc consequenter nobis tribuit, quod asseramus voluntatem in operando gratiam præcedere, et liberum arbitrium gratiam prævenire operando, saltem prioritate naturæ; gratiam vero subsequi tanquam pedissequam, et voluntati subjectam, quod Galli senserint. Unde alibi ait, cap. 9, p. 81, et c. 10, p. 83, c. 11, p. 102 et 103: *Hos Theologos (nos utique intelligit) ponere gratiam sufficientem, quæ liberi arbitrii velle præcedat in ratione entis, non autem in ratione causæ, ita ut in imaginatione horum Theologorum, licet in essendo prior sit gratia quam influxus liberi arbitrii, in operando sit posterior.*

Simili modo Cabrera, in suo libro cum dixisset, juxta nostram sententiam, efficaciam auxilii non esse ex Deo, sed ex libero arbitrio, subinfert, juxta eandem sententiam efficax salutis initium refundi in nos; sed hæc illatio procedit ex antecedenti nobis falso im-

posito, ut supra ostensum est, et idèo nihil de hoc auctore curamus. Præterquam quod non loquitur de initio simpliciter, sed de initio efficaciam, quod potius est quædam summatio, et ideo in suo genere tribuendum est libero arbitrio, quamvis non soli, ut ex dicendis in hoc eodem capite constabit.

Rejiciuntur quedam falso imposita auctori. — Prior etiam auctor nihil horum quæ refert legit in nostris libris, vel aliorum Doctorum Societatis, qui de hac materia his temporibus scripserunt. Et ita ipse nullum auctorem vel locum in particulari refert; sed omnia illa dogmata suo discursu colligit, ex hoc solo principio quod asserimus liberum arbitrium, quantumvis efficaciter a Deo motum et excitatum, non determinari in re ipsa a solo Deo, imo determinationem ad liberum consensum post gratiam excitantem non prius fieri a Deo quam a libero arbitrio, nedum a solo Deo fieri. Quam illationem tam evidentem esse credidit, ut sufficere putaverit ad affirmandum nos confiteri illum errorem, et cum Gallis sentire.

Salutis initium unde sumendum sit. — Ut autem certa rei veritas constare possit, statuere oportet aliquid firmum et fixum de initio salutis fidei et boni operis, quid nimirum per illam vocem significemus; alioqui semper in æquivoco laborabimus. Illius autem vocis significationem ex Conciliis et Patribus, præsertim Augustino et Prospero, sumere debemus; tum quia in disputatione cum Semipelagianis usus terminorum ab illis Patribus sumptus est; tum quia si alicui liceret aliam significationem illi voci imponere, æquivocam et incertam redderet Conciliorum definitionem, et occasionem dare posset introducendi falsam doctrinam, ut ex dicendis constabit. Concilium ergo Tridentinum, sessione sexta, capite quinto, satis disertè nobis declaravit quod sit, vel unde sumendum sit salutis initium, dicens: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per JESUM Christum, præveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Ex quibus verbis evidenter constat initium salutis, juxta Concilii doctrinam, non esse sumendum a determinatione libera voluntatis, sed a vocatione et præveniente gratia.

Nullum naturæ bonum potest primam gratiam auxiliantem promereri ex Patribus. — Concilium Arausicanum, can. 7. — Et revera

hæc fuit olim proprie controversia Gallorum cum Augustino, ut constat ex citatis Epistolis Prosperi et Hilarii, et ex responsione Augustini in libro de Prædestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiæ. Galli enim dicebant, quamvis ad opera supernaturalia necessarium sit ut Deus nos præveniat et adjuvet, nihilominus oportere ut homo per liberum arbitrium se disponat, et aliquo modo promereatur primum auxilium Dei petendo, desiderando, aut aliquod simile bonum suis viribus et libertate præstando; et hoc modo subiciebant gratiam voluntati, ejusque pedissequam faciebant; ac denique initium salutis ponebant in illo actu bono liberi arbitrii. At vero Augustinus et Patres semper intellexerunt nullum naturæ bonum posse primam gratiam auxiliantem promereri. Et ideo contra Gallos statuerunt initium salutis non libero arbitrio, sed Deo vocanti ascribendum esse, et ratione vocationis gratiam semper præire, voluntatem vero ejus pedissequam esse; et hoc est quod Arausicanum Concilium secundum contra Semipelagianos directe coactum definit, canon. tertio, dicens: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaie et Apostolo, etc.,* et in eodem sensu ait, canon. quarto, *Deum non expectare voluntatem nostram ut a peccato purgemur, sed ipsum per Spiritus Sancti inspirationem et operationem facere ut purgari velimus, juxta illud: Præparatur voluntas a Domino, de cujus decreti intelligentia plura inferius dicemus.* Et deinde, canon. quinto, definit non solum profectum, sed etiam initium fidei esse ex gratia. Explicat autem initium fidei esse ipsum credulitatis affectum, per quem non solum intelligit deliberatam voluntatem credendi, quæ in fide ipsa jam computatur; sed etiam quamcumque præviam bonam dispositionem voluntatis, per quam paulatim allicitur ad fidem, et fit docibilis Dei, qui dat suavitatem credendo, et præparat voluntatem ut velit. De hac enim præparatione semper loquitur illud Concilium, et illam vocat initium bonæ voluntatis, tam in credendo quam in obediendo, desiderando, petendo, etc. Idemque definit, can. 6 et sequentibus, qui fere omnes sumpti sunt ex doctrina Augustini, et fere habentur in libr. Sentent. ejusdem Augustini.

Vocatio bonam voluntatem præcedit. — Atque eodem modo idem Augustinus, in quæ-

tione secunda ad Simplicianum : *Quia non præcedit* (inquit) *voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus*, et de Prædestin. Sanctorum, capit. decimo nono : *Non quia credimus* (inquit), *sed ut credamus, vocamur. Et illa vocatione, quæ sine præventia est, id prorsus agitur et peragitur ut credamus*. Huic ergo vocationi semper tribuitur initium salutis, et hoc maxime contendit contra Semipelagianos. Unde libro secundo contra duas Epistolas Pelagianorum, capite octavo, inde probat non solum profectum, sed etiam initium boni operis esse ex Deo, quia non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis : significans a sancta cogitatione et inspiratione sumi salutis initium.

Prima motio et affectio ad bonum. — Et eodem modo senserunt de initio salutis Prosper in libro contra Cassianum, seu contra Collatorum, et Vincentianas; et Fulgentius, libr. primo ad Monimum, cap. octavo et sequentibus, et libro de Incarnatione et Gratia, capit. decimo sexto et sequentibus. Favet etiam Cælestinus Papa in Epistola secunda ad episcopos Galliæ, capite sexto et sequentibus. Ratio autem hujus fundamenti reddi potest, quia salus per bona opera comparatur; initium autem boni operis est sancta cogitatio, quam Deus immittit in cor hominis, sub qua (ut præcedenti capite dicebamus) comprehenditur prima illa motio et affectio ad bonum, quæ in voluntate, media cogitatione sancta, per Spiritum Sanctum excitatur. Merito igitur ab illa excitatione seu vocatione sumi dicitur initium salutis. Item, quia hoc est primum auxilium gratiæ, quod pura gratia est, quia ex sola Dei liberalitate donatur; in unoquoque autem ordine, illud quod est primum recte dicitur initium ejus. Sicut autem gratia est causa salutis, ita initium gratiæ est initium salutis; ergo vocatio, quæ est gratiæ initium, merito initium salutis existimatur et appellatur.

Quantum distet sententia auctoris a sententia Gallorum et Semipelagianorum. — Ex hoc igitur certissimo fundamento, manifestum est tam longe distare nostram sententiam a sententia Gallorum et Semipelagianorum, quantum distat cælum a terra, vel fundamentum a parietibus vel tecto. Primo, quia Galli loquebantur de primo auxilio gratiæ prævenientis et vocantis, et illius initium invenire volebant in libero arbitrio; nos au-

tem, cum dicimus liberum arbitrium non prædeterminari physice, sed seipsum determinare cum auxilio gratiæ, loquimur de effectu gratiæ cooperantis, qui jam supponit vocationem et gratiam prævenientem gratis datam. Secundo, quia Galli loquebantur de homine nondum vocato, et illi per solum liberum arbitrium tribuebant vim impetrandi vel merendi primam gratiam auxiliantem et excitantem; nos autem loquimur de homine jam vocato, quique jam gratis recepit primam auxiliantem gratiam, de quo solum dicimus ex libertate ejus pendere determinationem ad consentiendum gratiæ vocanti. Tertio, quia Semipelagiani omnino distinguebant inter conatus solius liberi arbitrii, et conatus gratiæ, et ex prioribus solis dicebant voluntatem elicere aliquem actum, vel bonum motum liberum, quod esset initium omnium motionum gratiæ; nos autem non separamus conatum liberi arbitrii a conatu gratiæ, sed illos ita conjungimus, tam in consensu libero quam in determinatione ad ipsum consensum, ut separari non possint, imo in re idem sint, et ratione distinguantur. Ac deinde ante hæc omnia fatemur præcedere gratiam vocationis, quam Deus in nobis sine nobis operatur, tanquam initium cujuscumque boni conatus postea futuri.

Salutis initium a solo Deo operante in nobis, sine nobis libere operantibus. — Unde tantum abest ut dicamus initium salutis esse ex solo libero arbitrio, ut potius dicamus esse a solo Deo operante in nobis sine nobis libere operantibus, quia non potest voluntas libere et bene velle sine prævia vocatione, et ad vocationem nullo modo concurrere potest voluntas libera. Quæ est frequens doctrina Augustini, præsertim in illa quæstione secunda ad Simplicianum, ubi hac ratione explicat illud ad Romanos 9 : *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, id est, *solius Dei*, quia solus ipse sine cooperatione liberi arbitrii operatur in nobis vocationem, quæ est fons bonæ voluntatis. Et ratione ejusdem vocationis, et omnium bonorum motuum quos includit, dixit Augustinus, libr. secundo contra duas Epistolas Pelagian., cap. octavo, multa esse in homine bona, quæ non facit homo; nulla tamen bona facere hominem, quæ non præstet Deus ut faciat homo. Quæ omnia nos late docemus et confirmamus, libr. tertio de Auxil., capit. 3, 4 et 5, et in brevi Resolutione de Auxilio efficaci. Tradit etiam ex professo Doctor Molina in

Concordia, præsertim disputat. 8 et 9, ad articul. 13, quæstione 14 primæ partis, et omnes scriptores Societatis. Qua igitur ratione, vel data occasione, potest quispiam nobis tribuere vel Semipelagianum errorem, vel quod initium salutis sit a libero arbitrio, et non ex pura gratia?

Quam distinctionem de initio salutis meditati sint alii Doctores. — At enim alii Doctores, ut suam objectionem fulcirent, distinctionem de initio salutis meditati sunt: unum vocant *initium efficacæ conversionis*, aliud *initium conversionis, seu salutis absolute et simpliciter*, et de initio salutis posteriori modo sumpto volunt intelligi Concilia, quæ dicunt sumi a prima gratia et inspiratione Spiritus Sancti; de initio autem priori modo sumpto aiunt sumi a determinatione voluntatis ad consensum. Sed imprimis hæc distinctio fundamentum non habet in Patribus, vel antiquis Doctoribus, et in materia adeo gravi nihil introducere licet, quod vel ab antiquis Doctoribus dictum non sit, vel saltem in eorum dictis fundamentum habeat. Deinde non est illa distinctio accommodata notioni vocis; nam initium unius ordinis unum tantum est quando cætera ex illo sequuntur, nam quod post primum sequitur, initium non est; alioqui si effectio uniusejusque doni gratiæ appelletur initium ejus, tot erunt distinguenda initia gratiæ, quot sunt actus et dona ejus.

Predicta distinctio non est utilis, imo præbet occasionem errandi. — Adde præterea (estque attente notandum) distinctionem illam non solum utilitatem non habere, verum etiam posse præbere occasionem errandi. Declaratur prior pars, quia Galli nunquam fere locuti sunt de initio salutis pro initio efficacæ gratiæ, id est, pro efficacia et actuali determinatione voluntatis ad consensum; ergo, licet admittamus extensionem illius vocis ad hanc determinationem significandam, non potest inde inferri, aut nos dicere quod illi dixerunt, cum non de eodem initio loquamur, aut definitiones Conciliorum contra illos procedere contra nostram sententiam, propter eandem rationem; nam Concilia utuntur illa voce in significatione accommodata ad condemnationem illius erroris. Cum ergo illa distinctio solum fuerit inventa ad confundendam nostram sententiam cum reliquiis Pelagianorum, vitanda est, ne simplicioribus detur occasio erroris vel deceptionis, male intelligendo Concilia et errorem in eis damnatum.

Alia erroris occasio. — Atque hinc declaratur alia erroris occasio; nam si initium salutis utroque modo a solo Deo fit, sequitur liberum arbitrium non efficere, nec cooperari ad initium salutis priori modo sumptum, scilicet, efficacæ gratiæ, quod perinde est ac dicere non concurrere liberum arbitrium ad determinationem sui consensus, quod ipsi facile admittunt, ut supra retuli; nobis autem valde displicet, quia alias illa determinatio non esset libera, quod nullo modo videtur admittendum. Sequela patet, quia, juxta doctrinam Concilii Tridentini, session. sexta, cap. 5, et can. 4, usus libertatis non est nisi ubi est aliqua effectio et cooperatio ipsius liberi arbitrii; et ideo definit Concilium liberum arbitrium cooperari active quando vocationi consentit, quia libere illam admittit; si ergo in determinatione ad consensum non habet effectivam cooperationem, sed mere passive illam recipit, non est ipsi libera talis determinatio.

In sola seminatione sanctæ cogitationis operatur Deus sine cooperatione liberi arbitrii, ex Bernardo. — Falsitas autem hujus consequentis probari potest ex eodem Concilio Tridentino, dicente esse homini liberum recipere vocationem; per determinationem autem ad consensum jam recipit vocationem; ergo habere vel non habere determinationem liberum est; ergo et efficere illam. Item, quia idem Concilium dicit esse in potestate hominis vocationi dissentire; non esset autem in potestate ejus dissentire, nisi determinatio sui arbitrii esset in ejus potestate; non est autem in potestate ejus, si libera non est. Præterea Augustinus et reliqui Patres solam vocationem, seu excitantem gratiam, dicunt fieri a Deo in nobis sine nobis; quicquid vero reliquum est, dicunt non fieri in nobis sine voluntate. Unde est illud Augustini, libro 83 Quæstionum, quæst. 68 : *Si quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit*. Expressius autem Bernardus, libro de Gratia et libero arbitrio, hoc docuit his verbis : *Ipsa* (nimirum gratia) *liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, servat ne sentiat defectum*. Sic autem ista tria operatur cum arbitrio, ut illud in primo præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. In sola ergo seminatione sanctæ cogitationis docet Bernardus operari Deum sine cooperatione liberi arbitrii, in cæteris

vero arbitrium cooperari. Determinatio autem ad consensum non pertinet ad excitantem gratiam, sed ad sanitatem et maximam immutationem voluntatis, quam secundo loco posuit Bernardus. Tandem quia si determinatio ad consensum libera non est, nec consensus ipse potest esse liber in his qui determinationem recipiunt, nec carentia consensus in his qui determinatione carent; quæ duo sunt potissima incommoda illius doctrinæ, quæ in libro tertio de Auxiliis late prosecuti sumus, et in sequentibus utramque illationem multis modis manifestabimus, et multa alia non minora incommoda referemus.

Voluntas ut sit pedissequa gratiæ.—*Augustinus.*—Ultimo, constat ex dictis quam sit alienum a nostra mente et sententia, gratiam subicere libero arbitrio, aut illius pedissequam eam facere (his enim verbis eadem res significatur); ideo enim Galli subiciebant gratiam libero arbitrio, quia juxta dispositionem vel naturale meritum ejus putabant inchoari in illo, et ita ducem et quasi dominum faciebant liberum arbitrium, gratiam vero pedissequam. Quantum ergo fundamentum illud alienum est a nostra sententia, tam falso nobis hæc propositiones attribuuntur. Sed ut hoc evidentius ex nostra doctrina constet, revochemus iterum in memoriam distinctionem gratiæ excitantis et adjuvantis, seu operantis et cooperantis, vel prævenientis et concomitantis; cui possumus etiam subsequentem adjungere. Loquendo ergo de toto ordine harum gratiarum, evidentissimum est nos non subicere totam seu utramque gratiam libero arbitrio; quia profiteamur prævenientem, operantem et excitantem gratiam debere præcedere; nec ex parte liberi arbitrii dari posse veram aliquam causam illius gratiæ, sed illam potius esse originem et radicem cujuscunque boni motus liberi arbitrii. Et hoc satis esset ut voluntas dicatur pedissequa gratiæ, et non e converso; et sine dubio in hoc sensu id dixit Augustinus contra Semipelagianos, quem nos imitamur in dicto libro tertio de Auxiliis, capite quarto et quinto; Molina, dicta disputatione 6 et 9. Catholice autem exponimus voluntatem humanam esse pedissequam gratiæ, non tanquam despotice, seu naturali necessitate illam sequendo, sed consensu libero illi obediendo. Et eodem modo liberum arbitrium subicitur huic gratiæ, non recipiendo ab illa determinationem ad unum, sed libere sese submitiendo ut illi consentiat.

Gratia concomitans non est pedissequa liberi arbitrii.—Si autem adjuvantem vel cooperantem gratiam comparemus ad influxum liberi arbitrii, sic quidem fatemur gratiam talem non esse præviam respectu liberi arbitrii, sed comitem; hoc enim ipsa vox significat, neque aliter loquuntur Concilia, neque munus hujus gratiæ aliud postulat. Inde autem non recte infertur gratiam simpliciter non esse præviam, seu nullam gratiam præire ante liberum arbitrium; quia fit virtualis collectio a particulari ad universalem negative. Nec etiam propterea dicimus hanc gratiam concomitantem, esse pedissequam liberi arbitrii, quia longe diversum est esse pedissequam et esse comitem; nam esse pedissequam est esse posteriorem in essendo vel in agendo; esse autem comitem non dicit consecutionem vel posterioritatem, sed ad summum simultatem. Nos autem in toto illo tertio libro de Auxiliis, cum reliquis nostri ordinis Theologis, sæpius negamus influxum gratiæ concomitantis, vel concursum Dei esse posteriorem influxu liberi arbitrii, vel sequi ex illo, sed intime et quasi essentialiter comitari illud, ideoque in ratione causandi actualiter esse omnino simul, absque proprio ordine prioris et posterioris, vel temporis, vel naturæ, qui in antecedenti causalitate fundetur. Quod si sermo sit de prioritate naturæ fundata solum in majori dignitate et independentia, dicimus potius influxum Dei et gratiæ concomitantis esse natura priorem. Igitur etiam gratia concomitans non potest dici pedissequa voluntatis, sed adiutrix et quasi baculum et fulcimentum ejus. Et eadem ratione non potest dici hæc gratia voluntati subjecta, si proprie loquamur; cum non sit illa posterior (neque inferior), sed potius sit tanquam superior causa illam juvens, illique sese accommodans; solum ergo dici potest voluntati attemperata.

Instantia.—Sed instant dicentes nos subicere gratiam voluntati quoad efficaciam ejus, quia dicimus (ut putant) gratiam accipere a libero arbitrio quod efficax sit, et dependere ab illo in efficacia sua. Hæc autem est magna subjectio gratiæ libero arbitrio, et ex illa necessario sequitur aliqua prioritas naturæ ex parte liberi arbitrii; nam quod ab alio pendet, posterius est illo ordine naturæ. Et confirmatur, nam plures causæ non possunt concurrere ad eundem effectum sine aliquo ordine inter se, nam ubi est multitudo sine ordine, est confusio; ergo cum nos doceamus influxum gratiæ adjuvantis non esse priorem

influxu liberi arbitrii, necesse est ut fateamur esse posteriorem. Solent denique ad hoc ponderare exemplum, quo interdum utitur Molina; comparat enim gratiam adjuvantem habitui quo voluntas utitur cum vult; habitus autem hac ratione subjectus est voluntati, influitque in actum posterius natura quam voluntas; ergo idem dicere cogimur de gratia coadjuvante.

Solvitur instantia.—Respondemus falsum esse gratiam accipere a libero arbitrio efficacitatem suam, seu quod efficax sit; nec modus ille loquendi invenietur in libris Molina, aut alicujus viri docti; est enim impropius et in rigore falsus. Aut enim efficacitatis nomine intelligimus vim efficiendi, aut ipsam actualem efficientiam. De priori manifestum est non habere gratiam vim agendi ex libero arbitrio, sed a Deo tanquam a primo agente, et ex intrinseca sua perfectione, tanquam ex ratione formali. Aut sermo est de actuali efficientia consensus liberi, vel determinationis liberi arbitrii; et sic etiam non est verum quod habeat efficientiam gratia ex libero arbitrio, aut ab illo, quia hæc particule significant causalitatem liberi arbitrii in ipsamet gratiam cooperantem; hæc autem causalitas nulla est, sed concomitantia utriusque causæ ad eundem effectum, quam solam tradit Molina in disputatione 18 suæ Concordiæ, et nos in libro tertio de Auxiliis. Et ideo cavendæ sunt hæc locutiones, quas iidem Auctores solent nobis imponere: *Gratia non est efficax nisi ex consensu voluntatis*, vel: *Voluntas præstat gratiæ efficaciam*, sunt enim in rigore falsæ; sed dicendum est gratiam non esse efficacem, id est, non actu efficere consensum liberi arbitrii sine illius cooperatione, quamvis suum influxum non habeat gratia a libero arbitrio, sed cum illo, de quo infra iterum redibit sermo.

Dependentia quid significet.—Illa autem propositio: *Gratia pendet in sua efficacia, id est, actuali efficientia, a libero arbitrio*, interdum invenitur in Molina vel aliis; quia habere potest verum sensum, de quo ex subjecta materia et contextu facile constat, quamvis non sit locutio omnino rigorosa. Dependens enim si in omni rigore et proprietate sumatur, dicitur habitudinem effectus ad causam, vel subordinationem et indigentiam, quam inferior habet respectu superioris; quo sensu manifestum est non pendere gratiam a libero arbitrio, sed potius e contrario; neque oppositum venire potuit in mentem alicujus viri

Catholici et docti. Alio vero modo magis universali, dependentia significat quæcumque conditionem necessariam ad existendum vel ad agendum, quomodo unum correlativum dicitur pendere ab alio sine prioritate naturæ, et causa partialis dicitur pendere ab alia concussa, ut visus a lumine in videndo, quia sine illo operari non potest, quamvis non prius etiam natura operetur lumen quam visus. Ad hunc ergo modum intelligendum est cum dicitur gratia in sua actuali efficacia liberi actus pendere ab influxu liberi arbitrii, scilicet, quia talis est causa ut non sit totum principium proximum actionis, sed comprincipium, licet principale, et ideo postulat concomitantiam alterius principii, sicut etiam e converso liberum arbitrium pendet in efficiendo a gratia concomitante, quia nihil sine illa efficere potest. Propriissime tamen dicimus ipsummet influxum actualem seu actionem gratiæ adjuvantis pendere, et ab illa, et a libero arbitrio, et essentialiter ab utroque, ita ut non possit intelligi prius natura manans ab uno illorum principiorum quam ab alio, sed ab utroque simul, ut latius tractavi loco citato.

Ordinem esse necessarium in concursu plurium causarum, ut intelligatur.—Unde ad confirmationem respondemus nullius momenti esse illationem illam: Influxus gratiæ concomitantis non est prior natura; ergo posterior. Nam possunt esse omnino simul, sicut alibi diximus, et infra etiam dicemus de concursu causæ primæ et secundæ. Imo in re ipsa unus simplex est ille influxus, seu una actio, quæ per diversos respectus, et secundum distinctos conceptus inadæquatos appellatur talis vel talis influxus. Quæ distinctio rationis non sufficit ut sit verus ordo naturæ (id est causalitatis) inter illos, quia vera causalitas postulat distinctionem in re; loquimur autem de vera prioritate naturæ et causalitatis, quia de prioritate rationis non desunt auctores graves, qui dicant concursum gratiæ et liberi arbitrii mutuo comparari in ratione prioris et posterioris sub diversis rationibus; nam in ratione causæ agentis principalis præcedit gratia, in genere vero quasi materialis et determinantis præcedit arbitrium. Qui modus loquendi nec pertinet ad dogmata fidei, nec illis repugnat, sed spectat ad speculationem Theologicam non improbabilem. Melius tamen absolute negatur omnis prioritas in influxu liberi arbitrii, ne videamur in operibus gratiæ aliquid illi tribuere tanquam soli aut principali causæ; quod sine errore sentiri

non potest, ut dicemus capite sequenti; et ideo melius utimur terminis significantibus simultatem, quibus Concilia utuntur. Cum autem dicitur in concursu plurium causarum necessarium esse ordinem, si intelligatur de ordine prioris et posterioris in ipso influxu, vel in ratione causandi inter se, falsum est quod assumitur, et sine fundamento, quia sine tali ordine potest aliis rationibus intelligi necessitas vel conjunctio plurium causarum sine ulla confusione vel superfluitate, quia vel nulla illarum est integra in suo genere, sed partialis, vel quia subordinantur ut causa prima et secunda, particularis et universalis.

Exemplum autem de habitu et potentia parum movere debet. Primum, quia non oportet ut teneat in omnibus, sed in hoc solum quod, sicut habitus non operatur in actu nisi cum volumus, ita nec gratia concomitans. Deinde quia in illo etiam exemplo falsum videtur (præsertim in voluntate, ut affecta supernaturali habitu) prius natura influere potentiam, quam habitum charitatis in actum ab illo elicatum, cum voluntas non efficiat talem actum nisi elevata per habitum, quam elevationem supplet auxilium quando deest habitus. Et ideo quoad hoc eadem est utriusque ratio. Nam cum voluntas et charitas exeunt in opus, non præcedit aliqua vera causalitas activa inter voluntatem et charitatem, ut ob eam rem una censeatur prius natura influere quam alia, et ita in omnibus exemplum est nobis accommodatum. Nullus enim proprie dicet charitatem esse pedissequam voluntatis, quia influit in actum, quando voluntas vult, quia non præcedit hoc velle ipsum influxum charitatis, sed ipsamet juvat voluntatem ut velit, et ita est comes illius, non pedissequa; ita ergo dicendum est de auxilio gratiæ concomitantis.

Quid sentiendum de distinctione illa: Gratia præcedit influxum liberi arbitrii in essendo, non in causando. — Ex quo tandem constat quid sentiendum sit de distinctione illa, quod gratia præcedit influxum liberi arbitrii in essendo, non in causando; est enim hæc distinctio nobis inusitata, quia neque in nostris libris, neque (ut existimo) in aliquo nostro scriptorum invenitur. Quod vero ad rem ipsam spectat, potest illa partitio intelligi, vel de gratia concomitante, vel de præveniente. De concomitante verum est non esse priorem in causando, nisi prioritas sumatur pro dignitate et principalitate, ut dictum est. At vero talis gratia formaliter sumpta sub deno-

minatione adjuvantis, nec in essendo est prior si accommodate fiat comparatio. Primo quidem, quia si sumatur in actu adjuvans vel cooperans, ut sæpe sumitur juxta rigorem vocis, sic non est talis, nisi cum actu cooperatur, et denominatur a suo actuali influxu; ergo, si non est prior in influendo, non poterit esse prior in essendo sub tali ratione. Si vero sumatur quatenus in actu primo est præparata ad juvandum, sic, vel coincidit cum gratia præveniente juxta probabilem sententiam, vel comparatur ad liberum arbitrium per modum habitus vel actus primi; et ideo mirum non est quod sit prior in essendo quam operatio liberi arbitrii; non vero erit sic prior quam ipsum liberum arbitrium.

Gratia præveniens ex quo incipit esse, physice illuminat intellectum et inclinatur voluntatem. — At vero si propositio illa intelligatur de gratia præveniente (de hac enim videtur objiciens loqui sub nomine gratiæ sufficientis), sic etiam falsa est, quia gratia præveniens in eodem puncto, non solum temporis, sed etiam naturæ, in quo esse incipit, physice afficit intellectum aut voluntatem, habetque in illis causalitatem formalem, illuminando intellectum et inclinando affectum. Ex qua sequitur moralis causalitas, qua talis gratia movet et attrahit voluntatem ad consensum, quæ quidem in suo genere est causalitas effectiva, ut infra videbimus, et ideo ut sic est prior natura quam effectus ejus, qui est voluntatis consensus. Ergo talis gratia sicut est prior in essendo, ita est prior in causando; nam in suo modo facit nos velle et consentire; et ideo causalis hæc locutio vera est: Quia Deus vocat et præparat voluntatem, ideo homo convertitur.

CAPUT VI.

QUO SENSU CATHOLICO EXPECTET DEUS VOLUNTATEM HOMINIS VEL NON EXPECTET JUXTA SENTENTIAM DE Vocatione CONGRUA, ET EXPLICATUR CANON 4 CONCILII SECUNDI ARAUSICANI.

Qui pugnant pro physica prædeterminatione sola Dei efficacia facienda in libero arbitrio, maxime videntur moveri, ne cogantur concedere, Deum expectare liberum arbitrium ut convertatur, vel ut velit a peccato purgari; nam putant esse damnatum in Concilio Arausicano secundo, canon. 4, quod sic habet: *Si quis ut a peccato purgetur voluntatem nostram Deum expectare contendit,*

non autem, ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti infusionem et inspirationem, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino; et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis, et velle et perficere pro bona voluntate. Quem canonem vehementer contra nos urgent, quia in eo damnantur dicentes Deum expectare voluntatem hominis; nos autem asserimus Deum expectare voluntatem nostram. Specialiter autem Cabrera mihi tribuit, quod asseram divinam providentiam expectare determinationem voluntatis nostræ, citatque disputat. vigesimam secundam Metaphysicæ, sectione quarta, numero vigesimo nono, et deinceps, quod tamen non impugnat, auctoritate Concilii, sed hac ratione: quia id quod alicui causæ præsupponitur ut sit, non causatur ab illa; ergo si nostra determinatio divinæ providentiæ præsupponitur, non causatur ab ea; et consequenter divina providentia non est causa universalissima respectu omnium, nec prima simpliciter.

Voluntas hominis dupliciter potest considerari. — Hi vero auctores (nisi ego fallor) periculo incidendi in gravem errorem et se et legentes exposuerunt, non distinguentes inter voluntatem hominis secundum se spectatam, cum solis naturalibus viribus et naturali lumine rationis, et voluntatem jam a Deo vocatam et excitatam per internas illuminationes et inspirationes. Si ergo dicti auctores loquantur de homine in priori statu permanente, recte et Catholice docent Deum non expectare voluntatem hominis, ut a peccato purgetur; nam (ut statim explicabimus) hæc est propria mens Concilii Arausici loco citato. Item quia præcedenti capite ostensum est initium salutis non esse ex homine, sed ex Deo; non ergo expectat Deus ut homo suo libero arbitrio convertatur, vel converti incipiat, sed Deus ipse inchoat purgationem a peccato, excitando hominem in peccato jacentem ut inde surgat.

Verisimile est nullum esse adultum quamvis infidelem, cui Deus aliquod initium vocationis non tribuat. — Denique quid expectaret Deus ab homine nondum a se vocato? Numquid dispositionem aliquam, vel proximam, vel remotam, qua se præparet ad purgationem peccatorum? At homo suis solis viribus nullam hujusmodi dispositionem inchoare potest, nedum perficere, ut in superioribus dictum est ex doctrina fidei. Vel expectabit ut homo saltem non apponat impedi-

mentum, committendo peccata quibus suæ gratiæ illuminationem impediatur? At neque hoc expectat Deus, tum quia ad cavendum hoc peccati impedimentum est maxime necessaria gratia Dei, præsertim homini jam constituto in statu peccati, et indigente illius purgatione, nam *unum peccatum, nisi per gratiam remittatur, suo pondere in aliud trahit*; tum etiam quia Deus frequentissime vocat et excitat homines, qui suo libero arbitrio ad peccandum maxime abusi sunt, multiplicando quotidie et aggravando peccata. Verisimileque est nullum esse adultum hominem, quamvis infidelem et peccatorem, cui Deus aliquod initium suæ vocationis et gratiæ non tribuat, ut eum a peccatis excitet; nam *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quod si fortasse Deus aliquando tardat, vel continet radios luminis sui, et peccatorem aliquem sine tactu cordis multo tempore relinquit, non est quia expectet hominem ut eum a peccato purget; sed quia vult ostendere esse opus meræ gratiæ et libertatis, dare vocationem suam cui vult, et quando vult, et esse opus justitiæ, illam non dare homini qui per peccata sua eam demeretur. Quam justitiam potest Deus in aliquibus manifestare, licet regulariter utatur majori misericordia. Præsertim quia non tenetur Deus vel singulis momentis vocare peccatorem, vel quam citissime, et in prima opportunitate, ut sic dicam, illum illuminare; sed singulis definit tempora et momenta, vel occasiones vocandi illos juxta consilium voluntatis suæ. Unde si aliquando differt vocationem, non est quia expectet ex parte hominis præparationem aliquam, sed quia nondum occurrit tempus a se definitum ad vocandum illum.

In prædicto autem sensu, nullo modo ex nostra sententia sequitur Deum expectare voluntatem hominis ut velit a peccato purgari, cum loquamur de homine jam vocato et excitato per divinam gratiam, et constantissime doceamus hanc vocationem gratis præcedere, nullo respectu habito ad præcedentem usum liberi arbitrii, neque illum expectare. Et ideo determinatio illa, quam ex libertate nostra simul cum divina gratia fieri dicimus, est ad consentiendum vocationi, quam in homine supponi necesse est; ergo ex illa sententia circa determinationem voluntatis humanæ, inferri non potest quod Deus expectet hominem ad vocandum illum. Igitur cum illi auctores ex nostra sententia inferunt Deum expectare voluntatem nos-